



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 91. Carolus Guisus accepto Romæ galero Cardinalis renuntiatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

*specta est mihi Cæsaris prudentia, & filia- Sæcul. XVI.  
lis dilectio: proinde confido, quod A.C. 1547.  
ea, quæ a tot Patribus necessaria judicantur,  
æqui boni consulat, simulque jubeat, ut  
Præsules Hispani, qui Tridenti commoran-  
tur, confestim se Bononiam conferant, &  
Germania conditiones a Concilio propositas  
non rejiciat, suosque quamprimum Præsules  
eo mittat: ac demum ut Synodo de condi-  
tionibus præstandis abunde caveatur.*

## §. XCI.

*Carolus Guisus accepto Romæ galero  
Cardinalis renuntiatus.*

Sub idem tempus Cardinalis Madru-  
tius ad Patrum Senatuum die decima  
quarta Decembris habitum introductus  
ea, quæ ei Cæsar in mandatis dedit,  
exposuit, Pontifex vero eodem die Ca-  
rolum Guisium Rhemensem Archiepi-  
scopum Claudii Lotharingii primi Gui-  
fiorum Ducis filium rubro galero deco-  
ravit. Hic idem Anno Domini mille-  
simo quingentesimo decimo nono die  
decima septima Februarii primam lu-  
cem aspexerat, jamque aliquo abhinc  
tempore a Paulo III. summo Pontifice  
hac dignitate auctus erat, demum vero il-  
lum Henricus II. eo fine Romam able-  
gavit, ut ipse a Papa galero accipe-  
re posset: Porro cum hic Archiepisco-



Sæcul. XVI. A.C. 1547. pus sermonis eloquentia, profunda eruditione, & mira non minus, ac fecunda imaginationis vi præstaret, atque ad quascunque scientias, necnon ad maximi etiam momenti negotia feliciter expedienda summe idoneus esset, hinc in eodem Patrum Senatu sermonem habuit oppido facundum, in quo Henricum II., ceterosque Franciæ Reges ejus Prædecessores summis laudibus celebravit, eorumque immotum veræ Religionis studium, atque maximum erga summos Pontifices affectum magna verborum ostentatione exaggeravit.

## §. XCH.

*Julius Roboreus Cardinalium Collegio adscriptus.*

Ciac. in vit.  
Pontif. t. 3.  
p. 730.

Alter, quem Paulus Papa hoc anno Cardinalem nominavit, erat Julius Feltrius Roboreus, seu de Rauere, qui Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto die prima, vel juxta alios quinta Aprilis natus erat, ut proin tum nonnisi duodecim annorum, trium mensium, ac paucorum dierum adolescens existeret; hæc enim Cardinalium creatio facta est die vigesima septima Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, quamvis nonnisi anno sequenti